

dominio regis Hungariae.¹¹ — Attamen, progredientibus armis victricibus Othomanorum, etiam provincia Bosnae Argentinae interum nova territoria acquirit: extenditur quasi tota hodierna Dalmatia, (exceptis insulis et ora maritima ab Omiš usque ad Novigrad), Hercegovina, Bosna, magna parte banatus croatici, tota Slavonia et inferiore parte Hungariae usque ad civitatem caput — Budam.¹² Post cladem vero Othomanorum sub moeniis Vindobonae et pacem a. 1699 in Karlovci compositam vastissimum territorium provinciae, nunc triplici gubernio civili parens, denuo a. 1735 disperatum fuit in tres partes, unde conventus Dalmatiae venetae specialem provinciam S. Caji, ab a. 1743 SS. Redemptoris, effecerunt,¹³ illi vero sub Austriae et Othomanorum dominio post divisionem statim uniti demum a. 1757 separati fuerunt et duas novas provincias crearunt: in Bosna et Hercegovina ab a. 1758 provinciam sub veteri nomine *Bosnae Argentinae*; in liberatis regionibus provinciam S. J. a *Capistrano*.¹⁴ — Anno deinde 1847 territorium Hercegovinae a Bosna separatum erigitur a. 1852 in Custodiam regiminis, quae a. 1892 honore provinciae formalis decoratur.¹⁵ — Demum a. 1899 unitae fuerunt provinciae ragusina et dalmata in unam sub nomine *provinciae S. Hieronymi in Dalmatia*;¹⁶ anno autem 1900 in provincia ecclesiastica croatico-slavonica omnes conventus inibi siti, qui prius pertinebant ad tres diversas provincias (S. Ladislai, S. J. a. Capistrano et S. Crucis Croatiae-Carnioliae), uniti fuerunt in unam *provinciam Croatiae* sub nomine SS. *Cyrilli et Methodii*.¹⁷ — Ita nunc habemus in Croatia quinque provincias, quarum tres (Bosnae Argentinae, SS. Redemptoris in Dalmatia et Hercegovinae) merito vocantur *provinciae pastorales*, quia hoc officio jam a suo exordio usque hodie funguntur et quamplurimas parochias regulares tenent; illae vero duae (S. Hieronymi in Dalmatia et SS. Cyrilli et Methodii) ex parte tantum hoc munere pastorali occupantur, prout nempe erant partes illius veteris provinciae Bosnae Argentinae. Propterea etiam in

¹¹ Fermendžin, Acta Bosnae, 307 n. 1195. Occasione divisionis Observantium a Conventualibus a. 1517 omnes vicariae in Ordine decoratae fuerunt nomine provinciae. Holzapfel, o. c. 136.

¹² Magnum imperium othomanum saeculo XVII praeter Asiam Minorrem, in Europa totam peninsulam Balcani tenebat, atque usque in cor Europae Mediae i. e. Budam pertingebat. Smičiklas T., Dvjestogodišnjica oslobođenja Slavonije, I, Zagreb 1891, 3ss.

¹³ Arch. Con. Makarskae, Liber Archivialis, f. 271, 354, 358.

¹⁴ Ab Occhievia Phil., Epitome vetustatum bosnensis provinciae Anconae 1776, 17, 22 ss; Jelenić, Izvori za kulturnu povijest bosanskih Franjevaca, Sarajevo 1913, 28 n. 22, 32 n. 24.

¹⁵ Jelenić, Izvori, 161—162; Schematismus almae provinciae missioriae O. F. M. in Hercegovina 1933, Sarajevo 1933, 21—28.

¹⁶ Acta O. F. M., XVIII (1899), 123—124.

¹⁷ Acta O. F. M., XIX (1900), 92—95; Schematismus provinciae Croatiae SS. Cyrilli et Methodii a. 1940, Zagreb 1940, 13.